Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38126
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

25.

Si enim ignoraretur quomodo scire potest quod promittitur
in futuro non cernitur in presenti. Spes enim quae uidetur
non est spes sed iam certa possessio. Quomodo si uelit
quispiam dicere. Ostende mihi quod inuisibile est. loquere
quod audiri non potest. Expone quod cogitatio non conprehen
dit humana. Ergo hoc sensu apostolus dixisse credendus est.
quod carnalibus oculis et aure carnali et cogitatione mortali
non possint spiritalia conprehendi. Et si enim noueramus
quondam ihesum secundum carnem sed nunc iam non nouimus eum
et in iohannis epistula scribitur. Carissimi nunc filii
dei sumus et necdum manifestatum est. quid futuri sumus.
quoniam uidebimus eum sicuti est. Quodque reuelatum sibi et
sanctis per spiritum esse testatur. Non statim sequitur ut ipse
aliis reuelaret. Alioquin audiuit et in paradiso
uerba ineffabilia que aliis narrare non poterat
aut si narrauerit nequaquam ineffabilia sunt. II

Secunda quaestio fuit in qua dicis legisse te per
transitum in opusculis meis quod agni qui stent
a dextris et hedi qui a sinistris christiani sint atque
gentiles. et non potius boni et mali. Non memini me
hoc aliquando dixisse. sed et si dixissem non essem
in errore pertinax. quantum autem dictanti subito
occurrit. In secundo uolumine contra iouinianum super
hoc capitulo disputasse me noui. Et non solum super
hoc sed et de eo quam in eandem quaestionem cadit ubi